

§. II. Sub Lescone nigro Germanorum numerus in ciuitate  
 Cracouiensi ad tantam multitudinem adauctus, eorumque  
 erga Ducem Poloniae fides tam probata erat, vt hic a. 1285.  
 non arcem solum aduersus hostilitates Conradi Ducis Maso-  
 viae eorum defensionem committere, verum etiam coniugem  
 suam Griphinam eorum fidei et tuitioni concedere haud sit  
 veritus. Quod vbi ex voto et feliciter successerat, insignem  
 eorum fidelitatem atque virtutem concessis libertatibus et  
 praerogatiuis iusta ratione remuneravit, immo vt cuilibet  
 quasi in conspectu esset, quanta Germanos prosequeretur  
 aestimatione, semet ipsum moribus et habitu illis confor-  
 mauit. Pluribus id refert. DLVGOSVS l. c. L. 7. p. 838. seq.  
 „Salubri tandem consilio Lesko niger Dux inspiratus ad  
 „Cracouienses ciues Teutonicos se conuertit, et tam Ducissam  
 „Griphinam suam consortem, quam arcem in eorum fidem  
 „et tuitionem committit. - - - Ciuibus autem Cracouiensibus,  
 „qui et arcem illi conseruauerant, et nulla aduersitate ab il-  
 „lius fide poterant diuelli, multas libertates praestitit, et Cra-  
 „couiensem ciuitatem, fossatis, vallis, turribus, et muris mu-  
 „niri, et a solis Theutonicis illius regimen et gubernationem  
 „obtinere et dirigi (Baronibus et militibus magna execratione  
 „et stomachatione rem improbantibus, ne quando aduersus  
 „se calcitrarent,) illis permisit. Tanta denique charitate Les-  
 „ko niger Teutonicos Cracouienses ciues ab eo tempore extulit  
 „et coluit, vt se tam coma quam habitu et moribus conforma-  
 „ret illorum.“ Item CROMERVS de Orig. et gest. Polon. L. 10.  
 „p. 176. Cracouiensibus ciuibus gratias egit, urbem accura-  
 „tius muniuit, eiusque regimen Teutonibus, qui fidem ipsi  
 „praeclare seruassent proprium deinceps attribuit, quod ad  
 „nostra vsque tempora durauit. Habitu quoque et cultu  
 „corporis cum eis conformato, quanti eos faceret, osten-  
 „dit.“ Subsequenti tempore Casimirus Magnus Rex circa a.  
 L 2 1355.